OEAW-IMAFO-SBW manuscripta.at/?ID=6576 page 1/2
Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4831
Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

faciem tuam &c. Exhibet hanc *Breulius* p. 694. reliquas V. praemittit *Originibus*, uti Codex noſter, e quo tamen, ut nihil diſſimulem, folium unum cum maxima parte Epiſtolae III. excidit. Tam Epiſtolae, quam ipſum Opus non carent quidem mendis; habent tamen etiam, quae Editis praeferas, ut v. g. Ep. 2. *libros Etymologiarum — conſummatos* pro *librum — conſummatum, praecipiat conſeruari* pro *conſeruare*. Ep. 4. *dependo iura ſalutis* pro *deponendo, ut illum illi loco* pro *ut utilem illi loco*. Ep. 5. *ſpes non confundit* pro *confunditur*. Operis ipſius L. I. c. 1. *quia diſcitur plena* pro *quia dicitur plena*. c. 4. *alicubi nec vocalis eſt, nec conſonans* pro *alicubi nec conſonans eſt* &c. Capitum Elenchi ante ipſum Opus collectim, ut in Editis, non habentur, ſed tantum ſeorſim ſingulis Libris praefixi. Ad calcem litera quadrata: *Explicit Liber Aethimologiarum*, additumque minute inter lineas: *id eſt origo uocabulorum cum uis uerbi uel nominis per interpretationem colligitur*. Spatium folii, quod ſupererat, Librarius Animalium vocibus implevit, orſus: *Aquilas dicimus clangere*. Ex his deligam ignotiora: *Accipitres plipiare, Uultures pulpare, Anſeres gliecere uel ſelingire, Pauones paupolare, Anates teguuntiare, Palumbes paucitare, Graculos fringuelire, Nocturnos cubire, Sturdos pardare, Hirundines minurrire, Paſſeres tiziare, Onagros mugillare, Tigres racare, Urſos uncare, Linces yrcare*. Verum quibus iſthaec Autoribus?

CCCCIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 271
Folior. 218. f. non una manu per duas columnas exaratus et rubricis illuſtratus continet *Iſidori Hiſpal. Libros XX. Etymologiarum*. Praeit Commercium ejus epiſtolicum cum *Braulione* Ep. *Caeſaraug.* VI. *Literas* complexum, quarum I. extat edit. *Pariſ.* 1601. f. p. 694. reliquae V. ipſis ibidem *Etymologiis* ſeu *Originibus* praefixae ſunt. Poſt eas continuo *Incipiunt libri yſidori Junioris* (in Chronico ejus ital. edito in Civitate Friuli, alias Auſtriae, ſeu Cividale 1480. dicti Menore propter Iſidorum antiquiorem, ut quidam volunt, Ep. Cordubenſem) *Spalen. Epiſcopi* (pro Hiſpalen. ut Spania, Σπανια pro Hiſpania) *ad Braulionem Cezar. Auguſtanum Epiſcopum uel ad Siſebutum dominum et filium* (ita hunc Regem Viſigoth. ante ſuum de Natura Rerum Opus compellat) *ſcribti. Vt valeas que requiris cito in hoc opere invenire hec tibi lector pagina demonſtrat. De quibus rebus in libris ſingulis conditor huius codicis diſputauit*. Igitur Rubricam hanc excipit primo Argumentum omnium XX. *Librorum*, dein Capitum *Libri* I. atque iſtud ſingulis deinceps *Libris* praemittitur. *Libri* porro cum Editis rite conſpirant usque ad *Librum* XVIII. At is cum ſequente XIX. in tot diſſectus eſt

Lib-

2026-05-06

OEAW-IMAFO-SBW manuscripta.at/?ID=6576 page 2/2
Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4831
Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

Libros, ut in fine XXVIII. pro XX. exeant. Advertit id Librarium; cum enim jam subjecisset rubricam: *Explicit Isiodorus continens in se viginti octo libros. Sub anno. D. M° CCCC° XII°.* τὸ *octo* rursus delevit, nisi dicas, id factum ab alio. *Bohemum* hominem fuisse docent non semel adjecta quaedam illius gentis lingua. Ita *fol.* 77. L. IX. c. 7. ubi de *Materteris* agitur, legas: *Ach awech ma myla kassy mye.* Schemata curate adpicta sunt. Lectio de melioribus est, saepius etiam secundae manus, sed Vocabula graeca passim jugulata.

CCCCX.

U. 54 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 149. f. bene exaratus, rubricis distinctus, et ab incomparabili *Joh. Fabro* Antistite nostro, ut notum illius Πρόγραμμα typis expressum in fronte docet, a. 1540. Collegio suo ad S. *Nicolaum* in usum Juventutis scholasticae legatus sequentia continet: I. praemisso quodam Fragmento homiletico in *Genes.* III. a v. 21. incipit p. 2. *Expositio cuiusdam de operibus sex dierum.* Ita quidem: *De principio libri genesis in quo mundi hujus creacio descripta est multi multa dixere.* Τὸ *cuiusdam* fortassis inde est, quod jam olim de Autore hujus Expositionis ambigeretur, aliis in *Junilium* Sec. VI. in *Africa* Episcopum, aliis in *Bedam* inclinantibus, cujus reipsa est et legitur edit. *Colon. Opp.* T. IV. 1688. p. 1. f. Codici nostro probe respondens, nisi, quod hic Inscriptionem: *Dilectissimo ac Reuerendissimo Abbati Accae* &c. cui Ἑξαήμερον istud dicat *Beda*, omittat.

II. *fol.* 17. *Super genesim.* Atque istud quidem calamo recentiore super locum erasum. Praeoccupanda ergo vera Operis Inscriptio, prout habetur *fol.* 113. *Incipit Explanacio Quam Fecit Viuchbodo Presbiter Domini Caroli Imperatoris ex libris sanctorum patrum id est Hieronimi. Augustini. Ambrosii. Hilarii. Eucherii. Gregorii. Isidori. Junilii. Bede.* Pauca, quae de hoc *Wichbodone*, *Wicbodo*, *Wigbaldo* ad nos pervenere, conjecturis nituntur. Detexere DD. *Martenius* et *Durandus* in S. *Maximini Trevir.* Coenobio Codicem ejus *Quaestionum in Octateuchum*, videlicet in 5. *Libb. Mosis*, *Josue*, *Judicum* et *Ruth*, praenotatum: *Carolus Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum hunc Codicem ad opus suum scribere jussit*, et triplici Poematio praevio munitum; cum autem viderent, *Quaestiones* has meris PP. supra citatorum sententiis, dictisque constare, non nisi eas, quae sunt in prima III. *Geneseos* Capita, inseruere T. IX. *Collect.* suae *Ampliss. Vett. Scriptt. Paris.* 1733. f. ad p. 293. praemissis illis Poematiis, e quibus praeter *Caroli* laudes, nomenque *Vuigbodi* nihil ad historiam eruas, ne fundamentum quidem, quo nixi Autores *Historiae liter. Franciae* T. I. p. 177. de *Presbytero* nostro scriberent: *Il y avoit plus d'un siecle, qu'on ne voioit*

2026-05-06